
Stanislaus
Poniatowski Adalb. Joach. Applausus panegy-
ricus.



APPLAUSUS PANEGYRICUS,

ILLUSTRISSIMO
ac MAGNIFICO DOMINO

D. STANISLAO
IN ŁETOW

ŁETOWSKI,

SUCCAMERARIO CRACOVIENSI,
GENERALI EXERCITUUM REGNI JUDICI &c.

Dum

Inter festivas acclamationes,
splendidissimo Ingressûs publici apparatu,
SUCCAMERARIALIS Jurisdictionis suæ Auspicia
Vieliccîis
felicissimè ordiretur,

è voto

Scholæ Regni UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS,

Per


M. ADALBERTUM JOACHIMUM FOLTANSKI,
Philosophiæ DOCTOREM, ejusdemq; Regium ac Tylicianum
Eloquentiæ PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiæ
Collegiatæ S. ANNÆ Zielopolscianum CANONICUM,
officiosissimo cultu & affectu

EXHIBITUS.

Annô Domini 1759. Die 3tia. Mensis Julii.

Typîs Universitatis Cracoviensis.

IN STEMMA PERVETUSTUM ILLUSTRISSIMÆ DOMUS.



I.

Quæ ſit ŁETOVIÆ, ſi quæris meta SAGITTÆ?
Virtutis propriæ Culmina celſa petit.

II.

Fæderis eſt Arcus, medius qui prominet ORBIS,
Hôc ſignô, pacem Lechia ſemper habet.

III.

Abſit, ut incaſſum DEXTRÆ tollantur ad Aſtra,
Cælitùs, en Patriæ commoda quæquè ferunt.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

MECÆNAS AMPLISSIME.



Efficiosissimum Studiorum Nostrorū applausum, quem ad solennem Principis Ordine in Equestri inaugurationem Honoris, pluribûs Benevolentiæ Tuæ devincti argumentîs, Magno NOMINI Tuo instituimus Academici; publicum recognitionis documentum testatum haberi velis. Non est nobis ea eloquii felicitas, ut quà Virtutum magnitudini, quà Sanguinis claritati, quà Succamerarialis (: qui Principem in

 Nobili-

Nobilitate locum tenet :) Honoris, prærogativæ, aliqua laudatione hac dignitas accedat; verùm cùm Te propitium Musis nostris Numen reveremur, certè si par encomium, laudemq; adferre nequierimus, condignam nihilominùs venerationem cultumq; exhibemus. Damus quæ possumus, nec Tu certè majora prætendis; cùm & Superi bonam voluntatem coronent, ubi facultatem non inveniunt; hæc Tibi eò gratiora debent esse, quò à puriori animorum candore defluxerunt. Exilitatē rei non erubescimus, quos plùs ingratæ mentis puderet; perjucundam acceptissimamquè Tibi futuram autumamus, si non pretium muneris, sed offerentium animum pensabis. Hoc Nostrum studium, optima Tua erga nos voluntas laudabit, quod ampliores Tibi contexuisset Laudes, si pares vires nostris conatibus suffecissent. Interim Quis? qualis? quantusvè sis? cogitabimus, aliquando de maioribus Tuis Honoribus, cum solenniori applausu locuturi.

APPLAUSUS PANEGYRICUS.



Uæ dies, superioribûs annîs, occulta quadam fatorum lege, penè impotentibûs expetita desideriîs, amplissimis hujus Palatinatus Ordinibus, nondum amæna illuxit; hodie Divi clementiâ Numinis, coeuntibûs in unum, liberis Civium votîs, suffragante Serenissimi ac Potentissimi AUGUSTI III. Poloniarum Regis Gratiâ, quò tardior eò hilarior affulget. Non possumus sine erumpentibus ex oculis lachrymis, quas læsi vehementi dolore, & nunc præberent animi, meminisse illius nuper extremæ diei, quæ Patriæ Civem, Civibus Corculum, huic Amplissimo Palatinatui desideratissimum Succamerarium SZEM-

 becium

BECIUM; Virum omnî ad gloriam memorandum ævô eripuit, ſimulq; in Corpore Reipublicæ, lethale vŭlnus reliquit. Quid hic non agebat ſinè Principe Nobilitas, ſine Præſide Aſtræa, ſine Rectore vulgus: actum eſt toties communî omnium ſtudiô, quidquid pro publica Civium utilitate, quidquid pro exacta Legum obſervatione, quidquid deniq; pro bono ordine, populiq; commodo agendum erat. Quoties convocati Ampliſſimi Proceres! qua arte emergentibus occurrendum malis? quæ adhibendum remedia? infectis fatorum invidiâ rebus. Unusquiſq; pro ſuo conſilio, voce libera, judicio, ac bene perſpecta prudentia, tam magnifico Operi, ſedulò adhibebat manus, ut hæc exoptata Boni communis Structura, junctîs animorum viribûs quantocyus conſurgeret. Expectabant hoc tædioſa nimis incolarum vota, optabat ſibi Majeſtas, poſcebat Senatus, urgebat Equeſtris Ordo, exigebatq; utilis & honeſti non una ratio.

Proh dolor! tranſierunt tot annorū luſtra, nullus tamen dies, nulla hora, nullū deniq; momentū adeò felix rediit, ut hanc negotiorum Provinciam, circa quā in ordinē redigendam, continuis multo tempore actū eſt ſtudiîs, perficeret, & ad priſtinū, ſtatū reduceret

cerer

ceret. Quotquot magni Hujus Amplissimi Palatinatus interveniebant Proceres, tot fracto nuper publicis laboribus Atlanti substituebantur Hercules, quà præcelsi Nobilitate Generis, quà heroicæ virtutis excellentiâ, quà rectefactorum amplitudine æquè commendabiles: Horum invictum animi robur, edecumata prudentia, indefessi pro Patria labores, licèt tantæ molis muneri, pares illis fuisse lacertos unumquemq; convincebant. Unica tantùm, fatô ne an malevolorum invidiâ? in pulcherrima Civium corona, defuit animorum unio, sine qua defuit simul & omne operæ pretium. Hinc indicti sinè eventu Congressus, agitata sinè effectu consilia, impensi sinè fruge labores, ægrè ferentibus singulis dilatæ spes, limitata vota, quò protrahebantur diutiùs, eò magis impatientiores moræ reddebant Cives. Quare incusabamus sæpè, nunc tarda sidera, nunc pigros questi sumus Cœlorum Orbes, segni hucusq; cieri motu, nobis illam non reddendo lucem, ad cujus lætissimum exortum, tunc cùm & Lechico Orbi, huic Palatinatui data pro Insigni, adusq; candore conspicua Aquila, sereniorem post nubila respiceret Solem, suumq; pro Ganymede Succamerarium, ad Thro-

Thronum Jovis Poloni, applaudentibûs Civium votîs deportaret.

Venit tandem hodie dies, publicæ fons lætitiæ, tantò hilariora post diuturna tædiosæ expectationis interstitia, causando momenta, quantò ferventiora videndi illam fuere desideria. Jam redit cum illa animorū Serenitas, hòc ipso amænior quod diutiùs Cœlo expetita. Jam recreati Cives, exhilarati populi, nunc plausibus addunt plausus, nunc gaudiis gaudia miscent, nunc ore, gestu, acclamationibûs quisq; pro suo, statu ætate, ingenio, hilaritatem manifestat. Si ita est à natura comparatum; ut in omnibus prosperis rebus, & ad vota fluentibus, unusquisq; nisi fuerit suæ inimicus sorti, magnopere gauderet; tum in iis præcipuè quæ ad publicam felicitatem & Bonum commune pertinere certum est, non tantùm amantissimus Patriæ Civis sed etiam omnis hominis multitudo, majorem in modum lætari consvevit. Quid die hodierna felicius? quid optabilius? qua desperatis reddita fiducia rebus, redditum & illud vinculum, per quod Amplissimi hujus Palatinatus Ordines, adinvicem sibi cohærerent. Nil illa præstantius? nil votis nostris convenientius? munus Cœlorum dare poterat. Ideo non sinè justissima causa non casu

fortuito

fortuito aliquo, sed DEI Ipsius Providentiâ, omnium confestim hodie mentes, immensa quadam lætitiæ voluptate complentur.

Ades jam hodierna die multorum Princeps votorum, pro quo plures annorum laborabant Olympiades & trieterides, quem indies & momenta, uno universi Cives consensu, atq; una voce deposcebant. Nam pridem hoc perspectum habuere singuli, Tui Authoritate, sapientiâ ac rerum gerendarum dexteritate, tam fausta fortunataq; in hoc Palatinatu fore omnia, ut si non longè plura, æquè similia de Te sibi pollicerentur bona, quàm de quovis alio, omnium merita gratô revolventes animô, Nobilitatis Principe, anteactîs temporibûs reportârunt. Is enim ades hodie qui Religionem amplificare, libertatem tueri, Cives servare, Divina atq; humana ex æquo tractare jam pridem optimè nôsti. Toties vidit non tantùm hoc Regnum vel Provincia, sed etiam Europæus Orbis, quomodo Tu Ecclesiæ & Patriæ fortunam, propriâ vitâ cariorem habuisti; quomodo omni semper conatu nixus es, atq; quotidie magis contendis, ut fidem, Justitiam, libertatemq; non solùm integram sed & florentissimam videas faciasq; ubiq;

quomodo omni labore, omni vigilantiâ, ac prudentiâ Tuâ, jam in plurimis & maximis rebus perſpecta & cognitâ, nihil eorum prætermiſiſti, quæ ad optimum quemq; in Toga & ſago Virum ſpectare potuisſent. Talis tantusq; Princeps dum Appiâ meritorum, Capitoliū Succamerarialis ingrederis Honoris, nemo eſt qui ſibi, qui Palatinatui, qui Civibus tandem aliquando exoptatam, hanc felicitatis & lætitiæ amplitudinem, qua publicè, qua privatim non gratuletur.

Verùm non ſuppetunt verba conceptis intùs gaudiis convenientia, deſuntq; magnitudini hodiernæ hilaritatis explicandæ idoneæ voces, quam vix ampli animorum receſſus capere poſſunt, non tenuis lingva ediſſerere. Utcunque tamen foras erumpit pectoris anguſtiis claudi neſcia lætitia, vultu, nutibûs, ore, plauſibûs, hîs præcipuîs cordis & affectuum teſtimoniîs, ſeſe in publicum prodit. Uſitata eſt manifeſtandæ publicæ exultationis, etiam ejuſmodi methodus, ingredientibus Honoris ædem Viris, non tantùm cum feſtivis acclamationibus occurrere, ſed etiam lilia, roſas, flores ſpargere, quibûs & ipſa incedentium veſtigia coronentur. Præterea adolent hi thura libaq; non ingratū

& ipſis

& ipsis Superis munus, quibus alia non suppetit heccatombe. Alii Colossos, Pyramides, & septizonia exstruunt, diuturna Principum & Heroum immortalis memoriæ monumenta, quibus sua gaudia nobiliori insculpunt lapillo. Illi vicos & plateas implent, satis ad expressionem præconceptæ hilaritatis ducentes, si gravissimo, jucundissimoq; Principis sui recreentur aspectu. Tuo faustissimo æquè ac lætissimo Ingressui, nihil ab arte, nihil ab ingenio, nihil deniquè à minus cultæ officio turbæ accedere potest. Pridem Tu in oculis totius Patriæ cum admiratione & ingenti voluptate versaris, pridem os meruisti populi, qui non aliter de Te unô omnium labiô loquitur, nisi quod sis Vir ille, quem præterita vix parem habuere sæcula, moderna summîs plausibûs excipit ætas, postera sæcula fastis & Annalibus, quibus ob immortalia facta Tuum inseritur Nomen, dignum juremerito fuisse judicabunt. Satis ex Te ipso & tua virtute Magnus es, qui illi sint Arcus & Obelisci, his enim pygmæi & nani ut majores appareant indigere videntur, nihil Tuæ addent magnitudini, nisi forsitan ad publicæ plausum lætitiæ contribuent aliquid. Ipse Hortensius, & plusquam Gallicanus Hercules, & dicen-

di ſvavitate, & movendi efficaciâ nulli cedens palmam, nullîs ad coronam votorum indiges floribûs; qui ſi opus eſt & roſas, & lilia, facundo profers ab ore.

Video tamen in hoc Ampliſſimo Palatinatu neminem eſſe, qui non ſuâ præſentiâ, omne erga Te ſtudium & devinctum pridem affectum non teſtetur. Gratulantur ſibi & Bono communi omnes id ſucceſſiſſe feliciter, quod ex animo optaverunt, eveniſſe, quod propoſuerunt, completum eſſe, quod voverunt: Cœlo eorum coronante vota, dum Te ad culmen Succamerarialis Honoris evehi cernunt, cum tanto ſolenniori plauſu, quanto cum majori Civium populiquè gaudio. Occurrit Nobilitas, cum ea quæ ſui Principi debetur reverentia, occurrunt Proceres, & eo quem pridem eorum inviſceratus affectibus promeruiſti, Te Suum Concivē proſequuntur amore: omnes deniq; quorum lætitiæ & proſperitatis pars maxima es, cum exultatione obviam veniunt, in ſuis acclamationibus, pro Te Superis gratias ſolvunt, de in ut proſperiores ſucceſſus, ampliores pridem debitos magnis meritis, quantocyùs aſſequaris Honores, ſupplicibûs votîs, Cœlum ipſum fatigant. Intra hunc, utriusq; Status Congreſſum, gaudet videri

&

& Universitas Cracoviensis, à prima sui radice post Regiam Majestatem, totiusq; Serenissimæ Reipublicæ authoritatem, etiam Hujus Amplissimi Palatinatus Benevolentiæ singulariter relicta; non ideo, ut protensas Magno Tuo Nomini Honoriq; offerat Panegyres, sed ut post longum votorum certamen desideratissimum Nobilitatis Principem, votivîs concomitetur plausibûs; cui si publicæ magnitudo lætitiæ denegabit dicendi copiam, Tui animi Dotes & Ornamenta sufficienter dabunt.

Quæ magna sunt, diu dare differunt Superi; ipsaq; toties acsi desudare videtur natura, quoties magnificum aliquod opus, vel de nova radice producit, vel antiquum renovat, vel collapsum erigit. Perderent gratiam & æstimationem inusitata quantumvis Cæli terræq; munera, si vulgari sorte, & continuo proventu, non per longa temporum intervalla contingerent. Decenniô parit elephantem elephas, fungos nox una generat; erumpit subitò in frondes, apta securibus ilex, non statim quæ fuit virga, alta nutat Cedrus, quia hæc tempori, illa æternitati adolescit. Ille antiquitatis stupor, an potius fastus Rhodius solis Colossus, illæ dicatæ Trajano Columnæ, flexi Constantino Arcus, ere-

ctæ Cæſari Statuæ, non ſubitò, nec unà ſurrexerunt ætate; congeſtîs opibûs viribûsq; conquiſitum diu à Dalmatia aurum, petita à Corintho marmora; conducti plurium annorum decurſu Praxitelles, aliiq; artifices. Non una dies ætasq; tributarias Aſiæ, Ægypti, aliasq; quà latè patet Orbis Provincias reddidit Macedoni: actum eſt longo ſæculorum tractu, priuſquàm à Medis ad Aſſirios, ab Aſſiriis ad Perſas, à Perſis ad Græcos, à Græcis ad Romanos ſuprema Imperii devolveretur Poteſtas. Toleranda ſunt multa diuturnæ expectationis tædia, ac ſæpius repetenda vota, ut delicium generis humani, publico Orbis & Urbis edictô appellatos, poſt Nervas Trajanos, poſt Titos Veſpaſianos, aliàs poſt bonos, optimos Principes, propitii donent Superi.

Talem Te Huic Palatinatui Principem, Cœlorum providendo clementia, diſtulit hucusq; immenſa Civiũ deſideria, ut ſinceriùs poſcere doceret, probatâq; conſtantiâ petentium, diuturnam ſollicitudinem magnitudine Muneris compenſaret. Debuerunt ſimul pro Te, plures laborarare ætates, nam prolixum requirunt partum, non vulgares conceptus, & quò major alicui Subſellio Vir datur, eo longior

gior ſæculorum antecedit mora. Ægrè tulimus varias rerum temporumq; vicisſitudines, ut nobiliſſimâ Tui Aviti *ANNULI* Gemmâ, deſponſatam fortunam cognoſceremus meliùs, cuſtodiremusq; cautiùs. Diuturnum votorum præcesſit certamen, ut tandem victor animorum cum majori plauſu, cum ſolenniori pompa, cum feſtivis undequaquè ocurrentium acclamationibus, ad Succamerarialis Præeminentiæ ſedem proceſſiſſes. Ipſa natura, exquiſito ſtudiô, & peregrino ſub ſole & hic in Patria, per excelſos Dignitatum gradus, multum conſumpſit temporis, ut exacto prolongatoq; labore, in Te Anteceſſorum compendiaret Decora, antiqua renovaret, majora oſtenderet, efficeretq; ex utroq; Cæſarem, omnibûs numerîs abſolutum Principem.

Octavum DEI Omnipotentis beneficiô, jam labitur ſæculum, (a) ut Pervetuſta ŁETOWSCIORUM Domus, tanto temporis tractu non effæta, Orbi Europæo, magnos in Toga & ſago, profert ex ſe Viros. Eorum primum domicilium fuit *Moravia*, nidus Heroum, Virtutum ſeminarium, religione, pietate, rerum geſtarum gloriâ, omnibus commendata Regio.

 Nemo

(a) Okulscius Tom: 2do Fol: 321.

Nemo eſt, ſic peregrinus in Polonia, ac in toto ſeptemtrione, cui non ſit auditum, de *Moravitarum* maximè heroicæ virtutis dexteritatisq; excellentia. Qûicunq; hiſtoricorum voluerit revolvere annales, ſatis mirari non poterit PETRI *de Radzikow*, imperterritæ animi viriumq; fortitudinis, incomparabile factum, Cedro auroq; notandum. Infunditur ingens hoſtium colluvies, *Moraviæ* limitibus, & jam cæsîs Civibûs, ferrô igneq; Patriis conſumptîs Laribûs, nulli conditioni, ſexui ætatiq; hominum parcendo gentis barbaræ rabies, è tam florentiſſima Provincia deſertam reliquiſſet Arabiam, ni pro Aris & Focis ſtetiſſent fortiter magnanimi Coclites Moravitæ. Pugnat animoſe quisq; pro nativo ſolo Hector partimq; cæſis in acie hoſtibûs, partim fugatîs extra limites invaſoribûs, fauſto omine. triumphat. Et cùm ſecundîs Marti Moravo auſpiciis, protrahitur diutiùs cruentum certamen, nullo domus cuſtode tenentur. Ex hac fæce virorum, qui victorem effugerant gladium, in nobiliſſimos omnî præſidiô vacuos, unicæ, è Principe ODROWAZYORUM Familia Hærediſſæ, facto agmine incidunt Penates, obcæcatiq; poſt recentem ſuorum necem furore, minimè advertunt, quanti ſit valoris, Odrowazyani

per

per tot Familiarum venas diffusi Sanguinis Gemma, dum *Principem Virginem* capiunt vinculisq; ligatam in servitutem abducunt. Casune? an Dei providentiâ? redit ex acie adhuc ignem Martemq; spirans *PETRUS de Radzikow*, è Moravitis frons prima Heroum. Et captæ Avitîs Celsissimæ Titulîs Virginis gemitu, & nobilissimæ jacturâ prædæ vehementer impulsus, quid non agit? persequitur unus numerosum barbarorum agmen, iterumq; coactîs in fugam hostibûs, ipsum raptorem, valido cuspidis transfodit ictu. Jam erepta barbaræ gentis manibus Princeps Hæredissa, Assertori suo, qui eam fortunæ, vitæ, ac libertati restituit, cum fracto annuli orbe, dimidium offert animæ. Detinuere forsan Martis negotia, dexterrimum, infractumq; Bellatorem *PETRUM*, cùm Princeps Virgo. pro magnitudine *Odrowazianæ Familiæ* desponsaretur alteri; de suo Liberatore, semper anxia dubiaquè. Servavit tamen cum fracto annulo integram fidem: reducem ad pacis otia sui Assertorem, ut tantùm è tessera continuandæ totâ vitâ gratitudinis cognoverat, dederat illi vinctas in Matrimonialia fædera manus. Nec satis fuit devinctum cor obtulisse; ni etiam Celsissimos, ab Avis Ata-

 visque

visquê ILLUSTRISSIMÆ Familiæ Honores, acsi in dotem transfudisset. Cessit etenim libenter tota Celssima *Odrowążiorum* Domus mediā de suis Gentilitiis Armis *SAGITTAM*, illi sociandam lanceæ, qua vindice pro raptu Nobilissimæ Virginis vitam posuit hostis. Datum nuper pro pignore, medium subtraxit *ANNULUM*, ut descendentibus à Petro Posteris, & heroicæ dexteritatis, & servatæ fidei, æternum fuisset testimonium. Aureæ Coronæ sublatîs Pavonum pennîs superaddidit binas Virginis *MANUS*, quas pro suo Liberatore Cœlum versûs portendebat. *ARMA* hæc è stemmate ODROWAZ, à *PETRO* de Radzikow, quòd fugientem cum rapta Virgine hostē celerrimè insequeretur *POGONCZYK*; à primo *PETRI* Filio, qui Paternum *OGONOVII* retinuit nomen *OGONCZYK*, ab altero POVAŁÆ cognomen habente, POVAŁA appellata. Cur quæso, collatis in unum Stemma Armis, diversæ denominationis data sunt Nomina? Non sinè occulta ratione hoc factum judico, jam enim prævisum erat, quòd de hac Stirpe non ad unius tantùm Provinciæ, aut Regni præsidium armati consurgent Achilles.

Probavit rem eventus. Certanti adhuc pro Regia Corona Poloniæ, è vicinis Moraviæ Oris,

Oris, PETRUS & ANDREAS OGONOVII: an veriùs duo fulmina belli Scipiadæ subsidium ferunt. Steterunt incomparabili fortitudine, adversùs Xerxẽ Miltiades, adversùs Tarquinium Bruti ex utroq; Cæsares arte Marteq; validissimi Bellatores. Ne inviderct Græciæ Achillis hastam Lechia, Gentilitiam tulerunt SAGITTAM, curandis Civium vulneribus aptam. In turbido existenti Sarmatiæ, ut faustum denuntiarent Nomen, in signo *Sagittarii* hæc duo resplenduerunt Luminaria: Castorem cum Polluce dixissem, dum secum in Lechico Cœlo diviserunt imperium. Natu major PETRUS in Majori, ANDREAS in Minori consedendo Polonia, uterq; Nominis gloriâ, meritorum amplitudine, Viris deniq; Maximîs, utramq; æquè implevit Poloniam.

Quæris Decora? adverte! quomodo Sanguis hic Nobilissimus, adhuc stillando á Capite, non in fontem exiguum, sed in immensum Splendorum crevit Oceanum; quomodò alta hæc Consanguinitatis Arbor adhuc in planta fuit ampla & procera. Quæris quæsita ab Avis Atavisq; Ornamenta? respice! vel ipsa hujus Pervetustæ Domus Atria, quomodò Purpurîs Principum, Vexillîs Heroum non interrupta

 serie,

ſerie, è Celſiſſima ODROVAZIORUM Familia procedentium exornata. Quæris in quovis Magiſtratu & Subſellio, Polonæ Reipublicæ Statores? adora officioſo cultu tot in Infulis Pontifices, in Toga *Patriæ Patres*, in *Purpura* Conſules, in Sago exercituum Duces: quot recenſes è *Poloniarum* annalibus, ŁETOVIOS, KOSCIELSCIOS, DZIAŁYNIOS, SIERAKOVIOS, aliaq; Nobiliſſimarum Familiarum Nomina, hujus Ampliſſimæ Domus prima Columina. Una illis altiſſimæ Geneſeos Arbor, unum natale Solum; ab uno Erythro Uniones, ab uno *Phæbo* Radii illuſtriſſimi. Æquè omnes in Sereniſſima Republica *Polona* ſummîs virtutibûs, ſummîs Honoribûs ſemper conſpicui: Subſellia, Curules, Faſtigia occupârunt. Eadem lucis nativæ, eademq; meritorum omnibus claritas; ſic in illis geminari videtur, ut quovis Orbis Lechici ſub climate ampliùs reſplendeat

Regia Solis dicenda DOMUS Tua Magne SUCCAMERARIE, in primo ortu ſemper Illuſtriſſimos diffudit Splendores: quos per ſuprema Dignitatum culmina contemplari, idem eſt, quod in auge meridiana *Phæbum* audaciùs intueri. Quantumvis ſublimis Oratorum

torum ſtylus, non attinget Tui Nominis Magnificentiam, quæ in culmine Honoris poſita, per altiſſimas Familiarum Stirpes, atq; magnificentiſſima opera, Cœlo viciniùs vel in Te aſcendit. Aborigenes Tuos, ad calculum, reducere idem labor; quòd ſidera numerare, quorum certitudo nondum & ipſis Aſtrorum peritis conſtitit. Habendum illi in ore ſæcula, qui vellet ediſſerere, quot è Domo hac prodiere Pacificatores Reipublicæ, Jurium Dictatores; in Senatu Conſi, in Curia Ariſtides. Dicerent annalium ſingraphæ, Metricæ Regni, Polono Tribunalitii Areopagi. Sed ultra captum & memoriam cujuſvis Elogiaſtæ eſt, brevi tempore hoc repetere in paginamq; proferre.

Ipſe jam videndus adorandusq; venis MAGNE SUCCAMERARIE; ſi Anteceſſorum Tuorum ſtatuas, ſi Avunculos Hectores, ſtantesq; in curribus Æmilianos, digitô monſtrare præſumpſerim. Viva Majorum Tuorum Imago es, eò magis colenda, quòd ſub nube modeſtiæ, Ita ſingula de Illis decerpſiſti Decora, ut nulla meliùs, Appellis aut Protegenis potuiſſet carpere manus; ſicq; omnes, vultu, geſtu, pace belloq; egregiè factîs, in Te uno efformâſti. Quinimo appenſis in Templo Honorum, pervetuſtis ILLUSTRISSIMÆ

E DO-

DOMUS Tuæ Imaginibus etiam de virtutis propriæ magnitudine pulchritudineq; non modica addidisti. Minus est, quod de MAJORUM Tuorum splendoribus accipis luminis, quàm quod illis vicissim rependis, de Tuarum Laudum Dotumq; maxima claritate. Operosa in Te virtus, altæ Consanguinitatis pulcherrimè excoluit Arborem, nec sinit excolere, ut maturiores semper Honoris & honestatis generet fructus. Eô ipsô dabitis veniam Magni, ŁETO-VSCIORUM Manes, ob immortalia, pro Ecclesia & Patria in terris Facta, Cœlorum illati Sedibus, quòd sacros Vestros non excitabo Cineres, si qua Olympi hodie prospiceretis parte, videretis ex illis, Virorum Phænicem MAGNUM SUC-CAMERARIUM, ad culmen altioris evolantem Honoris. Nequè è monumentis eruam marmora, cùm DOMI Vestræ perenniora, quovis Phrygio Numidoq; ebore, superstitis famæ, gloriæ, virtutisq; habeam munimenta. Ex urnarum domicilio, fastis historicisq; relinquo argumenta, mihi illa sufficient, quæ è Tuis MECÆNAS AMPLISSIME rectefactorum visceribus desumam Orator.

Unde altô veneror silentiô, *ILLUSTREM* ac *MAGNIFICUM DOMINUM* STANI-

SLAUM

SLAUM à *Łetow* ŁETOWSKI, Tuum ILLUSTRISSIME SUCCAMERARIE Dignissimum *AVUM*; Cujus gloria, viget etiam post fata superstes. Prominet è sepulchralibus umbris ut Sol ab occasu, inumbrari enim nequit, qui totam vitam in splendoribus peregit. Potens erat verbô & opere *STANISLAUS*, cùm pro Bono communi pace bellôquè obstandum erat. In Senatorii Equestrisq; Ordinis Consessibus Nuntius, in Polonæ Themidis Subselliis Arbiter, sana subministrabat consilia, inviolata dictabat Decreta: ubiq; pro Libertate & Legibus obstabat. Religionis amantissimus æqui honestiq; studiosissimus, nullam in virtutibus passus est labem, nullam in moribus admisit corruptelam. Bellicæ expeditiones si dexterrimum poscebant Heròem, extempló ivit impavidus ad arma miles, stetit, obstititq; fortiter STANISLAUS, ubi adverterit, Divina humanaq; jura conculcari. Suprema Honorum Fastigia poterat facilè conscendere, ni sibi satis duxisset ad gloriam illa meruisse.

Æquè adorandus succedit vectigali pennæ, *PARENS TUUS* MECÆNAS GRATIOSISSIME ILLUSTRIS ac MAGNIFICUS DOMINUS ALEXANDER ŁETOWSKI, VEXILLIFER Cracoviensis,

JUDEX CASTRENSIS BECENSIS, rerum gestarum magnitudine, dexteritate, prudentiâ Vir Maximus; Qui si Philippi Dariiq; incidisset temporibûs, illi Magno Macedoni si non eripuisset plamam, profectò non cessisset. Et sic felicior Alexandrô à nobis dicendus, vel ideo! quòd ille vix unum Gordium nodum districto ferri acinace solvere potuerat, Hic nodosas utroquè in Jure Causas, ac perplexa, quà pace quà bellô Patriæ negotia, ut evenerant, mentis elevatæ acumine resolvebat. Coram Regia Majestate, totiusquè Serenissimæ Reipublicæ Polonæ Facie, ad Generalia Regni Comitia LEGATUS, (b) quot verba, tot oracula locutus; hôcipso Delphico Tripode veriora, quòd nunquàm Sphyngem in ænigmatibus fovebant. In Illius abyssali sensuum profunditate, dolum fabricantia non unius Catilinæ submersa sunt cogitamina; super qua consiliorum abysso, stabile Boni Communis jactum est fundamentum. Agitatæ in dubiam sortis aleam variîs dissensionum procellîs Reipublicæ Navi, meliùs centoculô prospexit Argô; & ne in nuda hæsisset arena, copiosos dulcis eloquii profudit latices; ex quibus pulcherrima animorum

(b) Anno Dni; 1724.

rum unio enatâsset. Sub illo ad supremum Regni Tribunal JUDICE DEPUTATO, (c) extra Pòëtarum commenta, terrîs profuga, Cælo ab alto rediit Astræa, cùm advertisset maximè hunc sibi in Areopago adfuisse cultum, qualem vix inter Sidera habere potuisset. Aurô sunt non rarò venalia Jura; Decretorum folia, afflante favorum favoniô leves persæpe rapiuntur in auras: in Hoc Aristide Polono, non mendacem Prothei figuram, non multiplicem Polyporum versuram, non prava sectantium Numidarum inconstantiã, etiam hi invenerunt Aristarchi, qui aureos mores sub virgam suam vocare solent, *ALEXANDER* erat, in Pactoli naufragari fluentis, non periti censuit esse palinuri, ad umbram argenteæ in hanc & illam partem agitari Lunæ, arundinis non colossi judicavit. Gravissima rerum pondera, ita æquè Themidis libravit bilance, ut unicuiq; quod suum est redderet. Publica *CASTRI BECENSIS* testantur Acta, quòd omne Decretum sancitumq; ex ore, sensu, perspectaq; tanti Judicis Arbitriq; prudentia, sit ad mentem justitiæ dictum latumquè. Quid dicam de magnanimitate, ac incomparabili fortitudine Hujus *ALEXANDRI*. Eloquentiæ flumina in sui meretur encomia, qui toties

 pro

(c) *Annô Dñi 1714. Niesiecki fol: 97.*

pro salute *Patriæ* de barbarorum cervicibus fudit sanguinem, quoties infestas acies opposuit hostis. *VEXILLIFER* Cracoviensis ubiq; victoriosa prætulit signa, Polono Marti auspicatissima. Ivit fortissimus Heros, cum illo totius Orientis Terrore JOANNE III. contra perfidos Gelones, omnem adversariorum frangendo potentiam, domandoq; furorem. *Pars* sunt Ejus heroicæ virtutis, in *campis Bukoviensibus* cæsi barbari hostes, ultraq; Scythicam Mæothidem fugati. Sub AUGUSTO II. de virili nihil remittens calore, in *Podchaiecensibus* expeditionibus, palam ostendit, quod etiam *Polonum* flammas eliciat Ilium, licetq; hyemalibus subjecta rigoribus Sarmatia, in Lechiadum pectoribus habeat Æthnas. Bellonam dum associavit *Palladi*, publico monstravit Soli, in ŁETOVIANA DOMO, exclusâ omni antypathiâ & Gradivum Hæmum & Musas posuisse *Parnassum*.

Jam hic in profundam Tui veneratione vectigalis descenderet dictio *MECÆNAS AMPLISSIME*, nisi adhuc innumera in Illustrissima *MAIERNA DOMO* Decora, in stuporem admirationemq; raptam diutiùs detinerent. In Domo nempè illa, in qua totus ab antiquo floruit Senatus, prudentibûs Fabiìs & Æmuliîs venerandus. Requiris

quiris illos? ZBOROVII sunt: Magni *Patriæ* Statores, pro Aris & Focis dexterrimi Bellatores. Magistratus quos administrârunt, bella quæ gesserunt, Curules quas majestate Nominis virtutisq; occupârunt, quid memorem? Quoties intonabit classica Mars Polonus, toties JOANNIS Supremi Exercituum Regni DUCIS Campestris, NICOLAI in *Hungaria*, SAMUELIS in *Germania*, Martini in *Polonia*, de Gente ZBOROVIANA Heroum, immortalem Nominis famam, tibiis lituîsquè decantabit. Omnis venerabitur Ætas, *PETRUM* de *Rytwian* ZBOROWSKI, Serenissimi AUGUSTI II. Nomine ad *SOLYMANUM* Turcarum *IMPERATOREM* prudentissimum *LEGATUM*; cui & Othomanica Luna post ereptos tot Gentibus Regnisq; splendores superbô intumescens pleniluniô sua inflectit cornua. Quo fuerit ditatus honore ab Invictissimo Romanorũ Imperatore *RUDOLPHO CHRISTOPHORUS*, qua dexteritate in Aulis, REGUM Poloniarum portavit Scipionem ANDREAS, Hic MARESCHALCUS, Ille DAPIFER Regni ZBOROVII; & exterarum Gentium fasti, & Poloni annales dicent. Tantæ lucis Fons & origo est, ILLUSTRISSIMUS ac EXCELLENTISSIMUS MARTINUS ZBOROWSKI,

 CA-

CASTELLANVS CRACOVIENSIS Tuus magne *SUCCAMERARIE* Maternus *AVUS*, magnitudine sua omne excedens elogium, devotô silentiô à profano Oratore colendus. O quanta in Patriam MARTINI liberalitas! tot dedit Orthodoxæ Religioni fulcra, aureæ libertati Assertores, Legibus propugnatores, Polo Patrio bases, Senatoriæ *Purpuræ* ornamenta, Regni Coronæ gemmas; quot Nominis, virtutis meritorumq; Hæredes reliquit. Innui hæc ideo, ut HELENÆ de ZBOROVIIS PARENTIS Tuæ *ILLVSTRISSIME SVCCAMERARIE*, unde fuerit pretium demonstrarem. Non exiguum igitur Cœli naturæq; beneficium Primum Poloniæ Statorem *MARTINUM* Patrem, ipsam gratiam ANNAM de KONARSCHS Matrem, post Avunculos Hectores, etiam Hercules Fratres ZBOROVIOS, hanc Polonam Diannam habuisse. Satis illi fuisset ad gloriam, ALEXANDRI ŁETOWSKI, æstimatissimi *PATRIS* Tui extitisse Consortem, Quem ut altitudo Generis, ita selectissimæ virtutes extollunt æquè.

Quidquid retuli de Tuis Antecessoribus *ILLUSTRISSIME SUCCAMERARIE* tantillum est! omnes in paginam vocare, opus voluminum fuisset, non aliquot fo-

liorum

liorum. Laus est Prædecessorum Tuorum Tuiq; maxima, non posse ex toto laudari. Intima DOMUS Tuæ Illustrissimæ penetralia audaciorî nolui perscrutari stylô; quotquot ex templo Majorum Imagines occurrerunt visendæ, omnis Majestatis, pulchritudinis, venustatisq; in Te adverti prototypum. Relinquendum duxi Gentilitia illis Lumina, qui propriîs virtutibûs destituti, omninò jacerent in tenebris, nisi ad illos illustrandos Avitus splendor accederet. Liberalis in plerosq; in Te prodiga virtus & natura, nihil sibi ad præstantissimarum virtutũ plenitudinem reservavit, quod Tibi cum Sanguine Paterno, Maternoq; lacte non infuderit. Elargita est præter hæreditaria Avorum Atavorumq; Decora generosi Spiritus excellentiam, perspicax vividumq; ingenium, oris mirabilem quandam dignitatem, totiusq; corporis habitum venerandum. Non diu distulit Tuus animus hanc suam nobilitatem explicare.

Ac imprimis mihi se se offerunt præclara illa Tuæ ineuntis ætatis exordia. Non Tibi teneriores anni crepundiîs & nugis effluxere, nec inter delicias ac voluptates acta segnis adolescentia; nulla intercessit dies quin aliqua protuleris egregiæ indolis, hujusq; quam ad præsens ve-

neramur magnitudinis indicia. Quæ tunc morum Tuorum compoſitio? quæ animi moderatio? qui ardor! quæ ſitis in Te primis ab annis fuit illarum artium, quibûs ſublimes animæ ad quævis Maxima excitantur. Quadam ſenili jam gravitate conſpicuus, è Domeſticis Penatibus deſcendiſti ad Regiam Regni Scholam *UNIVERSITATEM CRACOVIENSEM*; & de virtute in virtutèm, de una in aliam ſcientiam non intermiſſo labore procedendo, non longo tempore ipſum cum Apolline Parnaſſum es transgreſſus. Nihil erat difficile, quod non perceperis ingeniô, nihil abſtruſum, quod non penetraveris judiciô, omnia ſvaviter complexus adeo, ut artium ſcientiarumquè arcana, aliis ſacra & non tangenda, vulgata Tibi viderentur. Bibiſti ad ſatietatem ex ipſo Fonte in Patria, quæ alii fluvios transfretando Iberos, vix primîs ad tumorem guſtârunt labrîs, Peregrinos non inviſiſti Soles à quibus referunt pleriq; æthyopem animum. Nec petîſti Corynthum, quidquid tamen Ptolomæus Ægyptiis, Solon Athenienſibus, Seleucus Locrenſibus, Salaminus Græcis, Lycurgus Lacædemonibus, Numa Pompilius Romanis, Primi Legislatores præſcripſere, vaſtiſſimæ Tuæ menti impreſſiſti. Qualem Te Virum, illa Tua adoleſcentia;

tia;

tia, omnium virtutum ſtudiorumq́; genere exercita & exculta promiſit, talem non unus probavit Magiſtratus; quem quoties ſuſcepiſti, toties admirabili prudentiâ ubiq́; perfeciſti. Sive Tu Becenſis, ſive ad Tribunal Regni ſæpiùs Deputatus, ſive Generalis Exercituum *JUDEX*, quovis in Subſellio virtutum acerrimus Defenſor, ſcelerum Propugnator; erexiſti innocentiam, omne damnâſti nefas, debitam legibus reddidiſti obſervantiam. Admittebas ſub graviſsimum judicium Cauſarum controverſias, & ne indeciſæ abirent, omnem vigilantiam curamq́; præſtitiſti. Non Tu Purpuram, non Titulorum lucem, non Generis majeſtatem coram Te litigantium reſpexiſti, à Quo procul fuit adulatio, procul Perſonarum delectus, procul ſanguinis amor. Hinc evenerat, quòd abierint in legem Decreta, quæ tuliſti, in vitæ regulas ſententiæ, quas dediſti, in oracula verba, quæ pro juſtitia es locutus. Loricatæ Cohortis *VEXILLIFER*, dein Exercituum Minoris Poloniæ regimen tenendo pro triplici Ajacis clypeo, Achilleum ſemper gerebas pectus, infractum laboribûs imperterritum periculîs. Accomodâſti Gentilitias Sagittas, in fulcra Patriæ, in vulnera hoſti, in clavas Marti; ut in Tuo Avito Haſtili haberet Sarmatia tela, adverſariorũ telis opponenda.

Non est ullum, nec fuit adeo insigne pro Patria meritum, cujus Tu ILLUSTRISSIME SUCCAMERARIE non magna sis pars, vel potissima. Minoribus si quæ dici possent exercitatus curis, tantùm Te Tua magnitudine attollis, quantus in cursu gloriæ maximis Reipublicæ laboribus, honoribusq; non impar assurgis. Quaternis vicibûs interfuisti Generalibus Regni Comitiis, è Palatinatu Cracoviensi Magnus *LEGATUS*; pro manutenenda toties tantarum Functionum majestate, quas non erogâsti opes? Bonum commune, & publicam Patriæ utilitatem pluris æstimando, quàm cara aliis fortunæ bona. Alter Cyllenius Equestris Ordinis Interpres, mira celeritate prævidendo futura, exposuisti; quid agendum sit in decumana fluctuantis Poloniæ tempestate, quibûs ventîs utendum, & ad quod littus salus Reipublicæ applicanda. Audiebat cum voluptate Purpuratorum Patrum Senatus Te Cyneam loquentem, stupebatque simul, quomodò styli gravitate, sermonis elegantiâ, rationum efficaciâ, corda & animos in Tui sententiam flectebas. Nec mirum; etiam familiares quos formas discursus adeo sunt limati, ut expolitos aliorum magno labore transcendant sensus, possintq; in volumina referri.

Quò

Quò grandior operum aſſurgit moles, eò major laudum creſcit materies. Maximis Patriæ admotus rebus, quidquid agis MAGNE SUCCAMERARIE, ſummum eſt, palmô metiri nequit, nec levi illâq; humilî attingi pennâ. Vidimus Te in Comitiis, Congreſſibus, Conſiliis, quævis difficillima publica privataq; negotia tractantem dexterrimè; vidimus in Foro, Curia, Areopago quævis maximi momenti Juris factiq; cauſas decidentem prudentiſſimè: videamus adhuc quos Tu non compoſueris æſtus? quæ exempla perſpicaciſſimi animi non monſtraveris? quos actus heroicæ virtutis non dederis? in tot commiſſis activitati prudentiæq; Tuæ Magiſtratibus. Mota fuit magno nuper ſtrepitu Oſtrogienſis Ordinationis causa, & ſimul totam Rempublicam perplexitatibus involvit. Itum eſt in varia ſtudia diverſasq; partes: hic privatam ſequebatur rationem, ille publicam præferebat authoritatem, hic pro bono Patriæ, ille pro Domus ſuæ fortuna certabat. Conſurgebant inde turbidæ diſſenſionum procellæ, eò magis nocivæ, quòd inteſtinæ. Tam opportunæ rei Conciliator, inter Purpuratos Patriæ Patres, non alius efficacior viſus, quàm Tu ILLUSTRISSIME SUCCAMERARIE, mirus artifex difficillimos devinciendi

 ani-

animos, atq; blandiùs pertractandi. Omnî ingenii vî atq; consilii contendisti COMMISSARIUS, ut Civium tranquillitas, Reipublicæ dignitas, Principis Majestas integra conservaretur. O quanta felicitas! ardua negotia facilitâsti activitate, adversis obicem posuisti prudentiâ, divisa conjunxisti corda, svaviter insinuato in Patriam amore. Habent enim verba Tua pondus maximum, adeo, ut quoscunq; alloqueris, flectantur quò velis, velle autem aliud non potes, nisì Bonum commune utilitatemq; publicam. Hinc est, quòd Te Polonus summè appretiat Orbis, æstimat Majestas, Purpurati Proceres in sui pectoris reponunt sacrario, Honorum Sphæræ personatam exposcunt Intelligentiam.

Dos est hæc maxima, magnis Viris nobilissimoq; sanguini jure hæreditario debita in commune vinculum sociatas habere virtutes. In Te *MECÆNAS AMPLISSIME*, Cælum & natura sua congessit dona; quæ in alios divisa sunt, collecta tenes. Ex Te veluti ex Oceano crystallini probitatū nulla vitiorum defœdati labe dimanant fontes, stillat ex ore, qua nec hybla Oratorum excelluit Cyneas nectarea affabilitas, de corde absq; sinoniis artibus sinceritas, de manu inexhaustus gratiarum Erydanus, de pro-

fun-

funditate sensuum fluunt cultioris svadæ latices; cùm sis omnis perfectionis Ilias, & universale virtutum ac scientiarum subjectum. Hæc tamen singula Cæli & naturæ dona, omnium sunt in Te bona. Redundat Sapientia Tua in Rempublicam, prudentia in negotia, activitas in publicos usus. Redundat liberalitas Tua in egenos, Xenodochia, Monasteria; plura dicam, redundat in ipsa Cælituum Altaria Ædesq;. Non subtraxisti munificam manum ab erigenda à fundamentis ECCLESIÆ Collegiatæ Boboviensis magnifica mole, ære Tuo *JVNICENSIS* Divo sacrata Numini è nova radice surrexit Basilica, Tuîs impensîs stetit in suo esse perfectioriq; statu Patrum CARMELITARUM in *Jasle* Fundatio: non ne pathetica religionis, pietatis, liberalitatisq; in Divos sunt documenta? Nulla facundior est oratio, quàm pro beneficiis; hanc repetent ad Aras in laudem Nominis Tui, & Æliani Flamines & plebs devotior.

Quidquid hactenus in parte innui de Te Magne *SUCCAMERARIE*, id totum dicendum de *ILLUSTRISSIMA* ex JORDANOVIIS HELENA ŁETOWSKA, vitæ Honorisq; Tui Socia, magnarum æquè virtutum Heroina. Est illi plusquàm ad pompā, quòd sit *ILLUSTRISSIMI* olim ac *EX*-

CELLENTISSIMI DOMINI MICHAELIS SPYTEK in *Zakliczyn* JORDAN *PALATINI* Bracłavienſis *CAPITANEI* Dobczycenſis, Oſtrołęcenſis &c. de Fide, Lege & Rege in Sago & Toga meritiſſimi Senatoris, Viri in totam æternitatem omnium ore dicendi, omnium cultu adorandi, Filia, Nominisq; Decorum ac virtutum Hæredissa; quòd ſit *ILLUSTRISSIMORUM* ac *EXCELLENTISSIMORUM DOMINORUM* STEPHANI & ADAMI JORDANORUM *PALATINIDARUM* Bracłavienſium, Quorum quivis virtutibûs, meritîs, Sapientiâ Maximus, utramq; par ornare, non ab illa ornari, Purpuram, germana Soror; quòd ſit inquam JORDANOVIA. Niſi ſimul exornaret illam innata ſuæ ſtirpi majeſtas, quæ occulta vi quadam ſvaviter reverentiæ admonet intuentium animos, ſimulq; mira comitate demulcet; niſi commendaret ardentiſſimus Religionis zelus, pietas, aliæq; virtutes in tam delicato ſubjecto excellentes. Dixiſſem illam maximum Sexus ſui decus, ni & eundem morum gravitate ac edecumatâ prudentiâ, longè ſuperare videretur. O quantus ad Hymænei tædas in Aviti ŁETOVIANÆ DOMUS Annuli Sphæra ſplendorum Concurſus! dum Tibi ILLUSTRISSIME

ME

ME SUCCAMERARIE, etiam Romano ab Avis Atavisq; tincta rubicone HELENA, concordem mansura in fœdera dederat dextram. O Felix conjunctio in Constellatione Gentilitii SAGITTARII! ex qua in quaternione lucidissimorũ Siderũ, MICHAELE STANISLAO, ADAMO & FRANCISCO Filiorum, factum est perfectum quadratum, in spem & solatium Illustrissimæ Domui, in Decus & præsidium Orbi Polono. Selectissimæ animi Dotes in *STANISLAO*, bene politos Oratorũ requirunt sensus, sed ipsa ætas virtutibûs florida, vigor ingenii promptus, actionum compositio, ad magna nata indoles suas sibi loquitur laudes. Vilescit omne verborum pondus, ad mentis stateram MICHAELIS, jam gravitate morum, jam exquisitissimîs omnis eruditionis perfectionisq; onustam cymeliîs. Post decursus studiorum in Jagellonica arena ludunt hi nobilissimi Ascanii, in Domo Paterna, sed lusus eorum seria sapit: Tu Ipse Hiron es ILLUSTRISSIME SUCCAMERARIE, Tu agendorum regula. Merentur jam quosvis Honores, omnium æstimationem evincunt. Candore notabiles ipso, Gentilitii Annuli nobilissimæ Gemmæ ADAMUS & FRANCISCUS, sapientiæ splendore in Divi Jagellonis radiant Sceptris, quas Di-

 vorum

vorũm invitant Aræ, Honorarii expectant Fasces. Accrescens luminis est in hac quadratura, ex *HELENA* & *CATHARINA* Filiabus, quæ si in antiqua incidissent tempora, tanquam Phœbe & Cynthia colerentur. Videre est in illis, ut candor vultus æmulatur nivium albedinem, ut innocenti rubore suffunduntur genæ, ut scintillant gratissima luce oculorum sidera, ut ludunt in fronte gratiæ, in vultu lepores, ut est in utraq; magna pulchritudinis cum virtute sympathia. Amaltheas crederem eas in Gentilitii ANNULI Sphæra; quæ cùm advertissent in *ILLUSTRISSIMA* KUROPATNICCIORUM & MIRASZEWSCIORUM Domo posse Numina nasci & ali, ad eam descenderunt per connubialia detractæ fædera.

Jam Tibi cum votivis occurrerem plausibus MECÆNAS ILLUSTRISSIME, ni adhuc obvios haberem germanos Fratres Tuos, omnî à me adorandos humagiô. Quantumvis cessit in obsonium Libitinæ ANTONIUS ŁETOWSKI *SUBDAPIFER* Vielunensis, ejus tamen merita grata revocat sibi in memoriam Patria, cui dulce consiliorum propinavit nectar. Imo renascitur tanquam Phœnix è cineribus ad IGNATII ignes, de lumbis suis Nominis & virtutis successoris. ALEXANDRUM *CAPITANE-*

UM

UM, JOANNEM JUDICEM Ovrucensem, JOANNEM hastatæ Cochortis Commilitionem ŁETOVIOS Fratres Tuos Germanos, non sic è vivis abstulerunt fata ut omnem cum illis tollerent famam. Extollit in perenne trophæum sepulchralem lapidem CONSTANTIA de *Łetoviis* KOTKOWSKA Subdapifera Novogrodensis, Tua Germana Soror, virtute propria quovis fatali casu superior. Levat Cælum versùs jam compositas in Crucem manus DAMIANUS ŁETOWSKI Strictioris observantiæ S. FRANCISCI Pater emeritissimus, & ipsos Cælites in Tua vota partesq; trahit. Applaudunt Tuo Ingressui & suæ Gloriæ, ALEXANDER *Vexilliferides* Cracoviensis, nuper ad Tribunal Radomiense Commissarius, & THOMAS ŁETOWSKI, Burgrabius Cracoviensis, Magnus olim ad Comitia Regni Legatus, ex JOANNA de ROMERIIS secundi voti, Fratres Tui; ex utroq; Cæsares, & certare pares & respondere parati. Assistunt principaliter Lateri Tuo: Celsissima, Illustrissima Colligatarum Familiarum Nomina Principes & Duces, WISNIOWIECCII, KORVINI, RADZIWIŁŁII, SANGUSCII, LUBOMIRSCII, OSSOLINSCII. Primi Patriæ Statores KOSCIELSCII, DZIAŁYNII, CHODKIEWICII, OSTROROGII, STADNICCII,

OPA-

OPALENSCII, ZBOROVII, BARANOVSCII, LIPNICCII, KOCHANOVSCII, GRABOVSCII, KURDWANOVSCII, WYBRANOVII, JORDANES, MORSZTYNII, KUROPATNICCII, REMERII, SENDZIMIRII, KOŁACZKOWSCII, KOSECCII, ANKWICCII, ROMERII, KOTKOWSCII, MIŁOSŁAVSCII, RYLSCII, aliiq; longo recensendi syllabô magni Genere, Majores meritis, maximi virtutibûs Proceres, per suas Affinitates cognationesq; non uno Sanguinis nexu Tibi conjuncti. Habes sat magnificum Ingressûs Tui apparatum ex tot Illustrissimarum *Familiarum* Decoribus, habet & ille non minorem ex Te Pompam. Incedis per gradus variorum Magistratuum, majestate conspicuus, gravis meritîs, omni excultus virtute; ut Principem in ordine Equestri capias locum. Factorum Tuorum vestigia publici consequuntur plausus. Effusi in adorationem occurrunt Cives & quem diutiùs ardentibûs expectabant votîs solenniùs salutant. Auget plaudentium numerum Regius Craci Apollo pro amplissimis Tuis Successibus votivas ingeminat voces, nec in iliis ponit metam. Etenim crede Academico candori & nostræ gratitudini, quòd sicut Tu MECÆNAS Optime, nunquam de nobis bene mereri cessas, ita nos majoribus atq; majoribus Tuis Honoribus applaudere, omnî locô & tempore contendemus.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0023703